

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Aristophanus Plutos

Aristophanes

Harlingae, 1744

Aequo Lectori S.D. Ti. Hemsterhuis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-2671



A E Q U O
L E C T O R I

S. D.

T. I. HEMSTERHUIS.

Feditionem hanc Aristophanei Plu-
ti voluntas peperit inservien-
di studiis optimorum juvenum,
quibus res Graecae cultissimi-
que sermonis nitor sincerus sunt cordi. Eam
ob causam hinc est semota versio Latina,
ut ex ipsis fontibus vim linguae puriorem
haurire consuescant: additus etiam Scholia-
stes.

** 2

stes.

XII P R A E F A T I O.

stes, ne fugeret eos illorum veterum Enarratorum stylus, cujus cognoscendi, quod sane, si quis severa disciplinae lege proficere cupiat, per est necessarium, in hoc rudimento facilem aditum habituri videbantur; maxime si vox praemonstrantis accesserit. Principio animus erat breviter hac opera defungi, notandisque lectionum ex diversis, quae mihi suppeditabant, Editionibus collectarum varietatibus esse contentum: deinde conducibilis sum arbitratus nonnihil observationum adspargere, quae lucem aliquam cum quibusdam loquendi formulis, tum rebus ipsis inferrent. Antiqua vero Scholia videbantur in primis hac cura indigere, quippe quae vulgo paulo negligentius tractari soleant, eumque in modum a Viris Eruditissimis ad partes vocentur, quasi omnia forent unius auctoris, ejusdemque pretii, & nihil plane referret, quid inde ad conciliandam dictis fidem peteretur. Equidem ad fructum literarum Graecarum permagni interesse censeo, ut ipsi tirones intelligerent in studiorum vestibulo, quanti sit vetusta a recentioribus, a genuinis spuria, au-

rea



rea a quocumque deterioris metalli genere se-
 cerni. Praeterea saepe contingit, tales Gram-
 maticorum interpretationes proponi, quae a
 receptis scriptorum lectionibus tam longe ab-
 eant, ut nullis machinis eo reflecti possint at-
 que adduci: quod, si sedulo fuerit perpensum,
 sponte homini paulo perspicaciori cogitationem
 eam subjiciet, aliud quiddam olim extitisse,
 cui talis explicatio congruat. Hoc igitur a-
 perto fonte, qui maximam partem ante fue-
 rat obturatus, largam ingenii occupandi a-
 cuteque de veteri & abolita jam dudum le-
 ctione conjectandi materiem excitasse videor:
 nam quod in his nostris Pluti Enarratoribus
 saepenumero conatus sum, idem multo foecun-
 dius reliquis in Scholiis ad Comicum, & in
 omnibus plane Grammaticorum ad veteres
 scriptores commentariis, quancumque sint
 momenti, tentari, nec sine egregio quidem li-
 terarum emolumento, potest. Magnum au-
 tem Editioni nostrae decus accessit a beneficio
 Viri Praestantissimi J. Phil. D'Orvillii, in
 quo cum singulari & exquisita doctrina cer-
 tat insigne de Musarum cultoribus bene me-

XIV P R A E F A T I O.

rendi studium, copiasque suas, quibus ad omnes Antiquitatis partes ornandas instructissimis abundat, ministrandi voluntas paratissima: is itaque, quum consilii nostri rationem accepisset, scriptum manu Codicem nobiscum communicavit, non illum quidem pervetustum primaeque bonitatis, utpote qui sit demum exaratus anno seculi quinti decimi primo & trigesimo, inque calce praeferat arcano illo scribendi genere, quod ex ordine literarum inverso conficitur, enodatumque est a Bern. Montefalconio Palaeogr. Graec. IV, 5. Δημητρίῳ τῷ Ἐαδοποῦλῳ τῷ ὄντι καὶ ἰσῶ, subjecto temporis eo, quod dixi, indicio: quem ego Demetrium, quis sit homo, juxta cum ignarissimis scio: non optimum ergo, sed valde tamen utilem, multisque in locis minime contemnendum, cujus subsidio Aristophanis non pauca fateare magis enituisse. Forte dixerit aliquis, scrupulosus, quam par sit, ipsas etiam mendas illius Codicis a nobis fuisse recensitas: cui quod respondeam, nihil aliud habeo, quam ma-
huisse me objecti criminis, si modo crimen est,
cul-

culpam subire, quam diligentiam desiderari. Idem liber marginibus inscripta scholia praebet initio satis ampla, sub finem multo rariora ejus generis, qualia Fracinus a Graecis recentioribus profecta in Editionem Florentinam invexit: quamobrem nihil ibi reperias ex vetustioribus illis vel Scriptorum, vel Grammaticorum monumentis, quae barbari seculi labes oppressit, derivatum: nec tamen poenituit, quaedam inde praecerta vulgatis scholiis immiscuisse, ut suo quoque locotum invenies. Porro, quemadmodum in libris, qui propius aetatem eruditionis instauratae sunt scripti, conspici fere solet, interjectae versibus aderant interpretationes haud sane maximi ponderis, sed quas tamen plerasque, jam tritum ab aliis morem secutus, notis insertas exhibere non inconsultum duxi, tum quod sensus aliquot obscuriores satis commode declararent, tum praecipue quod vetustis Comici vocibus novitia Graeciae recentioris verba forent adposita, eaque nunquam, quae laboriosam Eruditissimi Ducangii diligentiam effugissent; licet ipse non

ra-

XVI P R A E F A T I O.

raro Glossas ad Plutum Aristophanis MSS: usurpaverit, ex iisque solis quaedam senioris aevi vocabula produxerit. Id genus in proprium Indicem conferre, quaeque Virunt Eximium praeterierant antefixo stellulae signo distinguere, non alienum putavi. Quum jam alio sub coelo opusculum hocce ad metam properaret, egoque interea sedibus mutatis Lugdunum Batavorum migrassem, obtulit mihi locuples illa Batavae Academiae Bibliotheca Pluti Aristophanei Codicem MS: alterum, qui recens admodum, & ad D'Orvillianum non comparandus in nonnullis tamen profuit: chartas enim vel recentissimas haud temere quis paulo consideratius verset, quin aliquid inde lucri saltem colligatur. Eum librum adhibere coepi p. 381. reliqua, quae praecedunt, tum daturus, si suffragia labori nostro non adversa editionis olim iterandae facultatem concesserint. Aliud etiam ex eadem Bibliotheca commodum insigne percepi: nam quum singulis propemodum paginis Suidas esset testis advocandus, neque me fugeret in forulis istis librariis

P R A E F A T I O. XVII

rits Codicem ejus eximium adseruari, tenere me non potui, quin illum consulerem, & quae publica notitia non viderentur indigna, in medium efferrem. Hinc adeo factum est, ut nostrae adnotationes ad metam, ubi aliorum contra deficere fere solent, & brevius in spatium coarctari, pleniores exierint: quod ego Lectorem, si animum hac etiam parte juvandi literas intueatur, lenius esse laturum spero. Ab his praesidiis instructus priscas tamen Editiones, quarum magnam partem copia nobis est ab Ornatissimo D'Orvillio facta, non omnino esse secludendas existimavi; non quod inde singularem aliquam utilitatem expectarem: nam pleraeque sunt ad vetustiorum unam aut alteram ita compositae, ut eas totas de verbo ad verbum reddant, quinimo saepius prioribus mendis novas accumulent: sed quod nihil praetermittendum videretur, ex quo cultus aliquis Comico nostro posset conciliari. Editione Aldina principe perquam studiose sumus usi, quae ut tempore, sic fide & adcuratione ceteras antecedit. Mar-

co



XVIII P R A E F A T I O.

co Musuro Cretensi, *cujus vigiliis ac labori castigatissimum opus debetur, egregius aliquis Codex, aut plures ad manus fuerint oportet; itidemque Scholia genuinae vetustatis signo impressa, cujusmodi, nisi in membranis obsoletioribus, sola & sincera vix inveniri solent: verum, ut mos erat haud sane laudandus illius aetatis, quibus adjumentis suffultus ad curandum Aristophanem accesserit, quas adhibuerit membranas, unas an plures & unde sumtas, commemorare operae non putavit; nisi quod Aldi Manutii liberalitatem, quae omnibus est elegantiae veteris admiratoribus magna cum ejus laude perspectissima, & sumtuum in conquirendis subsidiis largitatem meritis praeconiis extollat. Secutus est Antonius Fracincus Varchiensis, qui recognovit Aristophanis, illum audis ipsum loquentem, Comico-
 rum omnium lepidissimi, novem Comoedias, vere Graeci candoris eloquii-
 que delicias, cum sale suo, lepore, politissimis-
 que facetiis delectet multum, sententiarum
 vero luminibus plurimum prodesse possit,
 ad*

ad hoc Arsenii Cretensis Archiepiscopi Monembasiae magna eruditione viri acerrimo iudicio usus, dum is Florentiae adolescentulos illos, quos Leo Pont. Max. ad reparandam Graecae linguae jacturam ex media Graecia arcessiverat, instituit. In qua quidem recognitione hoc in primis gloriari licet, nos omnium primos in Comoedia cui titulus est *Εἰρωνή* ad sexaginta versiculos nostra diligentia repertos restituisse. *Qui de restitutis sexaginta versibus tam impense gloriatur, exputare non possum, quid causae sit, cur duas fabulas Lysistratae, & Cereris sacra celebrantium feminarum, decennio jam ante per Bernardum Juntam, & Florentiae quidem, vulgatas omiserit. Hic autem, sive is potius Arsenius est censendus, nuper demum scriptis peiorisque notae libris obsecutus, ut ex Codice D'Orvilliano perspicue didicimus, ab Aldino exemplari non raro discessit, deterioremque lectionem nativae supposuit: Scholia vero sunt illa quidem ditata, sed ejusmodi novarum accessionum adfumentis, quae aevi serioris intereun-*

* * * 2

tem



XX P R A E F A T I O.

tem doctrinam, & ornatu prisco denudatam manifesto fateantur. Postmodum has utrasque, Aldinam inquam & Florentinam, Sigismundus Gelenius, Vir doctrinae lumine praeclarus, expressit eum in modum, ut in Aristophanis, quem vocamus, contextu M. Musuri magistri curam revereretur; in Scholiis paulo liberius, quae vitiiis viderentur infecta, corrigeret, solo nimirum ingenio fretus: nam a primis istis, quas memoravi, binis Editionibus, nemo unus, ut nitidius elimaret Aristophanem, chartas veteres in consilium adhibuit ad Ludolphum usque Kusterum; qui quamvis ceteros omnes longo post se intervallo reliquerit, si tamen eruditionem adcuratamque Graecae Linguae scientiam, qua mirum in modum excellerebat, cura voluisset, & aequabiliter fusca per universas operis suscepti partes diligentia cumulare, non dubitet, qui rem propius inspexerit, quin melius etiam aliquanto, quam fecit, de literis Graecis, deque nostro Comico mereri potuisset: taedium certe continuati laboris, justo citius subrepens.

pens, ut variis lectionibus, quae in Comi-
 ci marginibus excerptae praesto aderant,
 suisque simul ad Vespas & Pacem notis Le-
 ctorem fraudaret, ipsi persuasit. Equidem
 sic judico, eum, qui edendi scriptoris anti-
 qui provinciam capit, si ingenii acumine,
 rerumque peritia, quam in omnibus parem,
 talemve, qualem quisque sibi tacitus de se
 pollicetur, frustra requiras, minus valeat,
 hoc utique vinculo publicis aliorum commo-
 dis obstringi, easque officii sui ducere par-
 tes debere, ut fidem animique contentionem,
 ne quid profuturum per socordiam omitta-
 tur, praestet; quod si minus ipsi consequi
 potuimus, non idcirco minus id ita facien-
 dum esse sentimus: nunc nihil est vulgatius,
 quam vel parum cocta nullaue meditatio-
 ne subacta, vel centies etiam recocta in
 medium magno temporis dispendio protrudi.
 Ex ceteris Edd. quae scholiis carent, Far-
 reanam maxime desiderabam, quam vide-
 licet magni fieri, inprimisque a Stephano
 Berglero, optimo illo Graecarum eleganti-
 rum iudice, eo in pretio haberi acceperam,

XXII P R A E F A T I O.

ut Lipsiensem Aristophanis editionem ad illud exemplar maxime conformandam destinaret. Subvenit cupiditati meae proluxa humanitas Matthiae Röveri cultissimae doctrinae atque animi erectaeque indolis decoribus ornatissimi. Ubi inspicere, oculisque Farreanam usurpare fuit datum, non illud quidem, quod proverbio dicitur, pro Thesauro carbones, plane mihi evenit; veruntamen haud multo secus: prorsus enim in vestigiis consistere perspexi Basileensis illius, quae A. 1532. apud Andr. Cratandrum & Joann. Bebelium prodiit; adeo ut, ne vulnera mendarum aucta referam, labes huic Basileensi soli inhaerentes fideliter redintegret: quemadmodum illud $\omega\theta\upsilon\mu\omega$ in Pluti v. 884. nusquam mihi, si has binas exceperis, inventum. Longe major laus Angelo Caninio debetur, qui Grypbianam Lugduni A. 1548. subtilius expolivit, curamque suam in Praefatione Lectori venditam re ipsa exhibuit: quo magis doleo negotiis eum fuisse retractum, ne vetustis Enarratoribus eandem operam navaret. Conspi-

spicatur autem haec Editio minime sper-
 nenda in Thesauro librorum Lugd. Bata-
 wo, cujus oris docta manus inscripsit de-
 promptas ex spectatissimis membranis lectio-
 nes varias. De reliquis, quae ad hoc ge-
 nus pertinent, causa non est, cur erudi-
 ti Lectoris tempori non parcam. Si quid
 porro ad eam normam, quam mihi maxi-
 me probari modo professus sum, minus in
 hac lucubratione nostra sit exactum, quod
 equidem ultro fateri non erubesco, satis
 memor, quam multae saepius & molestae
 interpellationes studii animique intentionem
 corrumpant, opera forte dabitur olim, ut
 resumta lima nitescat, & quae nunc in
 Notis paulo inaequalius decurrunt, haud
 dispari filo contexta deinceps procedant. Su-
 perest, ut Lectorem admoneam, ne miretur
 secum, quid sit, quod non uno in loco able-
 gari se videat ad commentarios nostros am-
 pliores, ubi clarius exposita sint & lucu-
 lentius, quae breviter tantum hisce in No-
 tis attigeram. Scilicet principio statueram
 uberiores adnotationes Pluto ad finem dedu-
 cto

XXIV P R A E F A T I O.

Et o subungere, quarum ea foret ratio, ut tum locutiones Atticas virtutemque Comicae venustatis, tum res & historias ab Aristophane tantum digito demonstratas tironibus explanarent: postea, quum Plutus, spectabili satis Notarum satellitio stipatus, justi voluminis modum videretur inpleturus, consilium illud prius deserui, vel certe tantisper seposui, dum occasio quaedam ejus exsequendi opportunior oriatur. Interea Vale, benigne Lector, & oblati, quod bene vortat, fruire.

